

# La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 114

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia imperator augustus. Si commoditates ac necessitates locorum divinis cultibus mancipatorum servorumque Dei in eisdem degentium sagaciter providemus, imperialis praecellentiae opera frequentamus ac per hoc facilius nos aeternae beatitudinis gloriam adepturos procul dubio confidimus et auxilium supernae pietatis ob id nobis ad praesentem vitam felicius transigendam et ad futuram [obtinendam] nullatenus ambigimus. Igitur notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus nostris[que], scilicet praesentibus atque futuris, quia quidam reverendus coenobii basilicae sancti Martini, eximii confessoris Christi, simulque Capleiensis monasterii, quo corporaliter ejusdem venerandosum corpus quiescit, Hugo abbas, noster fidelis atque propinquus, innotuit celsitudini nostrae qualiter quasdam res praelibati sancti Martini, una cum consensu canonicorum, quas largitale nostrae benignitalis olim eidem sancto confessori sibi que canonicis famulantibus per praeceptum dedimus, sitas in pago Avalinse, in vicaria Iliniacinse, in loco qui dicitur Goilis, cum mancipiis aliisque rebus eidem loco Goilis pertinentibus dederat partibus domni Arnulfi, quondam venerabilissimi abbatis coenobii confessoris Christi praelibati domni Martini scilicet monasterii, in suburbano Aeduensis civitatis editi, seu partibus monachorum inibi Deo ac praelibato sancto Martino devote famulantium, et pro eisdem rebus e contra acceperat ab eodem abbate domno Arnulfo seu a monachis praelibati loci degentibus, ex rebus eidem monasterio pertinentibus, in pago Tornodrinse in ipsa vicaria Tornodro, in loco qui dicitur Sedriacus, mansum unum cum domibus, aedificiis, cum mancipio Ermoino suisque infantibus et altero mancipio, Araldo nomine, cum vineola, terris cultis et incultis, silvis omnibusque sibi rebus pertinentibus diversis in locis consistentibus, super qua re petiit culmen imperialis munificentiae nostrae ut dignaremur praecepto nostrae auctoritatis easdem commutationes corroborare, quatinus rata haberi valeant quaeque pro ambarum [partium] oportunitate ac commoditate inter se peracta noscuntur. Simili modo petiit ut eodem praecepto imperialis nostrae dignitatis quandam commutationem in praedicto pago Tornadrinse, in fine Comisiacinse, factam, scilicet ex terris diversis in locis sitis, quas praenominati canonici sancti Martini Capleiensis a sanctimonialibus monasterii sancti Juliani Autisiodorensis commutaverant pro ambarum partium oportunitate, et pro eisdem in ipso pago et fine Tornodrinse juxta ipsum castrum et in villa Ateias et Eroia sitas ex rebus sancti Martini terras partibus sancti Juliani atque ejusdem abbatis earundem sanctimonialium dederant suo assensu utrique gregi sibi commisso invicem beneficia oportuna caritative praebenti, largiendo facultatem commutandi. Cujus petitionem admodum aptam cognoscentes, imperialis praeceptum dignitatis fieri jussimus, per quod decernimus atque jure firmissimo roboramus ut quaeque inter se commutaverunt, auctoritate hujus imperialis praecepti nostri inconvulsa omni tempore habeantur, ita ut quicquid pars parti tradidit et serie scripturarum communi beneficio inter se confirmaverunt ac corroborata habentur, inrefragabiliter teneantur atque possideantur, scilicet venerandus Hugo abba et canonici monasterii sancti Martini Capleiensis faciant ex hoc quod acceperunt libere, sicut ex aliis ejusdem monasterii rebus, similiter et venerabilis Badilo, qui ad praesens jam abbas habetur, ac monachi coenobii confessoris Christi beati Martini Aeduensis, sicut ex aliis rebus eidem monasterio

pertinentibus faciant quod voluerint, aequae et pars sancti Juliani ejusdemque monasterii ac sanctimonialium rector eodem tenore faciant, sicut ex aliis ejusdem sancti rebus. Et ut haec auctoritas inviolabilem obtineat effectum ac firmior per futura tempora habeatur, anuli nostri impressione subter eam jussimus sigillare.

Audacher notarius ad vicem Gozlini recognovit.

Data III idus julias, indictione X, anno XXXVIII regni domni Karoli imperatoris in Francia et imperii ejus II. Actum Pontione palatio imperiali. In Dei nomine feliciter. Amen.